DE METHODI ANTAGONISTICAE UTILITATE IN PRAXI MEDICA DISSERTATIO...

Antonio Pernetti

DE

METHODI ANTAGONISTICAE UTILITATE

IN PRAXI MEDICA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA

RITE CAPESSENDA

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

OFFEREBAT

ANTONIUS PERNETTI

MANTUANUS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXXI

DE METHODI ANTAGONISTICAE UTILITATE

DISSERTATIO

Organismus continuo stimulorum influxui, quorum praesentia est necessaria ut vitae manifestatio habeatur et sustineatur, non semper resistere valet, tum quia majorem in ipsum, quam par est, actionem exerunt, tum quia praeexistentes dispositiones in lusum deducunt: hinc harmonica partium relatio perturbatur, earum textura ac dynamicum dissidium destruitur, atque corpus humanum variis ac multifariis malis torquetur, vel ipsa vita exhauritur. Ex hoc fonte itaque concipitur origo tot variarum medendi rationum, quae eo omnes diriguntur, ut processus morbosi in corpore natura debelletur, invertatur, vel saltem corrigatur ac leniatur. Inter tot

medendi apparatus aliquid putavi in medium proferre de *Metodo Antagonistica* seu *Revellenti*, cujus summa in praxi utilitas quotidiana abunde confirmatur experientia.

Quum essentia Methodi Antagonistae innitatur legibus simpathiae et Antitheseos, quae in animali vigent aeconomia, ordo vult, ut antequam de hujusce methodi applicatione opus aggrediar, breves premittam nationes, quibus *Consensus* et *Antitheses* in omnes organismi partes tam in statu physiologico cum pathologico demonstrentur, ut magis rationalis patescat methodi, de qua agitur, utilitas.

Illa partium remotarum facultas, neque per adsuetudinem, neque per exercitium acquisita, quae in organico earum commercio fundatur, unde fit ut una pars excitata, vel affecta analogam atque mutuam incitationis affectionem ad aliam determinet, vocatur *Consensus*. Vincula quibus omnia insimul nictuntur organa, et harmonicus inter omnes actiones, quae in corpore animali perficiuntur, concentus stabilitur, sympathia dicuntur. Omnes partes et organa inter se consentire possunt, vel propter nervos, qui nexum dynamicum generalem constituunt, vel per homologam partium structuram, vel per functionum analogiam. Hujusmodi consensus tam in statu salutis, quam morboso viget. Quoad consensum inter organa vitae animalis nonne sub

Phoebi inspectione sternutatio cietur propter consensum inter oculos et nares per nervum oculo-nasalem determinatum? Nonne eadem ex causa irritata membrana narium, abundans suscitatur lacrymatio? Maximus praesertim in statu pathologico consensus inter cerebrum et ventriculum observatur: sic in Encephalitide plerumque vomitus surgit; e contrario in stomachi affectione nascuntur cephalalgia, vertigines, etc. Ex nexu nervi intercostalis cum pari quinto et decimo cerebrali diversa phaenomena sympathica manifestantur: sic pupilla dilatatur, et temporaria oritur coecitas in vermibus et saburris: sic sub dentitione difficili nascuntur convulsiones, epilepsia, diarrhoea etc., sic titillatio faucium, odores ingrati vomitum promovent. Aliud consensuum genus in partium simili structura fundatur; unde phisiologi in eo consentiunt, ut ea organa quae ad idem systema pertinent, quae eamdem habent fabricam, atque eamdem virium informationem, simul invicem incitentur, adeo ut sanae et morbosae actiones sibi succidant. Sic v. g. pleura consentit cum peritonaeo, dura mater cum sclerotica, membrana mucosa uretrae cum conjunctiva palpebrarum, etc. Quare sufficiens ratio habetur, cur una membrana affecta, aliae quoque patiantur: ita etiam concipitur cur variae affectiones, uti scrophula, rehumatismi, catarrhi, rachitis, syphilis, inflammationes

etc. integra systemata, homologas utpote, ejusdem fabricae, et functionis partes etsi dissitas mox plectant. Alius consensuum fons in organorum analoga functione, vel saltem in sympathico functionum connexu habetur. Ita renes reciproca actione sibi supplent etc.

Ast Natura praeter sympathias in corpore statuit *Antitheses*, propter quas systemata et organa diversa una cum suis functionibus in polari quadam existunt oppositioue. Sic manifesta antithesis habetur inter systema nervosum et muscolare: in antithesi sunt vasa secernentia cum excernentibus; arteriam cum venis; arteriarum denique ipsarum energia in earum systole et diastole: cutis et membrana mucosa cum menbranis serosis etc. Hujusmodi oppositionis conditio viget quoque in morboso statu, ubi nempe videmus ea organa, quae functione sibi opitulantur, vicario modo sua recipere officia, adeo ut unius actione depressa, alterius energia elevetur, illique supplemento et adminiculo sit. Hic status vocatur Antagonismus, vel actio vicaria. Sic perspiratione cutis incitata, urina minus profluit, aut alvus fit stricta: cohibita bilis secretione, vel renum functio intenditur, vel cutis non raro augetur perspiratio. Sic etiam uno sensu abolito, alii sensus intenduntur: fluxu haemorrhoidali aut menstruo suppresso, alia oriuntur sanguinis profluvia ad alias partes;

secretione lactis improvise suppressa, sudor copiosus subacidus plerumque extricatur.

Consensuum igitur et antitheseos legum cognitio maximam offert utilitatem in praxi medica. Hisce enim legibus cognitis, non solum Medicus innumera phaenomena rationali modo explicare potest; sed cum processum aliquem morbosum alicui organo infixum removere desideret, nil melius ad hoc obtinendum, quam analogum suscitare per. applicationem revellentium in ea parte, quae cum illa sympathicos tenet nexus ab experientia et observatione magis confirmatos.

Praemissis notionibus relate ad sympathias et antitheses tam in statu physiologico cum pathologico, devenire nunc oportet ad methodi antagonisticae utilitatem. Quum Medici practici observarint, interdum naturam per se solam sponte viam parasse ad aliquem processum morbosum exterminandum, aliquod derivationis punctum in alia parte statuendo; sic v. gr., in suppuratione pulmonum spontanea ulcera ad thoracem, vel abscessus ad anum, vel ulcera ad tibrias etc., maximo interni morbi levamine enata sunt: quum itidem observarint interdum morbosum focum per metastasin, vel metaschematismum ex una se transtulisse ad aliam partem; sic v. gr. phlogosis ex uno interdum ad alium locum transit remotum, quin causa et modus pateat, quemadmodum est de

parotitide, quae de repente evanescit et orchitidem in latere respondenti excitat; sic tumor dolens de uno ad alium articulum per saltus improvise defertur, uti in arthritide; sic exanthema in facie non raro cedit, et organa respirationis vel meninges misere occupat; vel e contrario inflammatio interna ad cutim felici omine transit: quum denique viderint interdum, affectiones praesertim ex cachexiarum classe sanatas fuisse adparitione alicujus morbi acuti praecipue exhantematici; et quod suppressa functione alicujus organi, aliae partes quae cum eo consentiunt, vicario modo supplementum praestare nituntur. Hisce omnibus observationibus ducti ideam derivarunt de modo naturam imitandi et affectiones de una ad aliam partem revocandi, atque proinde applicatio methodi antagonisticae in variis morborum formis principem obtinuit locum.

Methodi Antaginasticae nomine (quae ab aliis dicitur etiam methodus revellens) intelligitur ille remediorum, auxiliorumque diversi generis complexus, quorum actio eo tendit, sive interne, sive externe adhibeantur, ut super fibram ac vires vitales vel contraria penitus suscitetur conditio illi quae in aliquo corporis systemate aut sphaera, aut organo viget, vel vero analogus inducatur processus, sed in parte remota quae cum iis consentit. Quare ejus summa utilitas in iis casibus praeprimis elucescit, ubi vel nervos

salutari successione afficere, et nova impressione novum quasi vitalitatis statum ipsi concilare, quin irritatio plus minusve intendatur, vel vires vitales et praesertim nervosas liberare, aut oscillationes motuum vitalium expedire aut invertere, vel denique humores ad alias partes revocare, et inde per analogum processum artificiali modo suscitatum internam passionem mutare, interrumpere, destruere opus sit.

Quaeritur nunc utrum omnes processus et motus morbosi, an vero solummodo nonnulli ob violentam irritationem excitatam, vel in cute, vel in aliis organis suspendi, dissipari, aut in aliam partem revocari possint? Rem perattente considerando probabiliter saltem concludi potest motus morbosos dumtaxat, qui sensationem constituunt, vel qui ab ipsa aliquo modo proveniunt, suspendi aut dissipari posse a nova irritatione dolorem ciente, quia binae sensationes coexistere nequeunt relate ad centrum sensationum; una enim constanter cessat, dum altera ingreditur, et haec effici nequit quousque prior existat. Ex opposito illae conditiones et morbosi motus, qui contractionem, oscillationem, turgorem, vel fibrarum coarctationem constituunt, non pendentes a simplici sensatione, nec cum ipsa absolute connexi, possibilitatem excludunt suspensionis, vel cessationis per novae impressionis influxum cientis dolorem, sed exigunt ad hoc, ut mutatio in incitatione conditioni

morbosae organismi respondens inducatur. Ad primum genus conditionum et mutuum morbosorum qui suspendi possunt per se absque incitationis augmento vel imminutione, referuntur dolores topici cujuscumque indolis, sensationes morbosae et motus ab ipsis procedentes, nausea, vomitus, singultus, tussis, asthma, convulsiones, delirum, falsae perceptiones, aliaeque ejusmodi affectiones, quae ad classem neurosium relegantur. Ad secundum genus autem pertinent omnes inflammationes una cum suis sequelis.

Hisce principiis Medici innixi ad morbosas sensationes auferendas remedia revellentia proposuerunt, et diversam de utilitate, quam sibi proponunt, rationem dedere. Alii enim cessationem internae affectionis derivationi seri acris et pungentis tribuerunt: alii externam irritationem artificiali modo paratam solvere internum spasmum fibrarum, et stimulantem materiem morbificam ad exteriora vocare crediderunt: alii per influxum alicujus stimuli fortioris externi reddere minorem internam irritationem ex topica affectione pendentem putarunt: alii opinati sunt per externum artificialem phlogosheos processum posse imminui internum, tali modo naturae conatus irritantes, quae interdum sponte viscera affecta aequali artificio liberat. *Hufeland* supposuit, cum vitalitas potentius accumuletur in aliquo organo, hoc

contingere non posse, nisi impendio vitalitatis, quae aliis partibus detrahitur. *Reil* admisit congestionem principii vitalis fieri in partibus valide irritatis cum respondenti et exaequata in aliis imminutione.

Quomodocumque sit, hoc tamen experientia docuit, quod validae irritationes externae dolorem pulmonum, pleurae, meningum etc. dissipant, et vellicantem stimulum distrahunt, qui molestam producit sensationem ad cardias, ad ventriculum, ob quam vel singultus, vel vomitus etc. suscitantur.

Ubi autem agitur de motibus ex irritatione, qui peculiari modo aliquam corporis partem crucient (quo referenda est phlogosis una cum suis consectariis), fieri nequit ut motus ipsi suspendantur ex fortiori aliqua nova ac dolenti impressione; nec unicum enim habetur organum quo ii motus perficiantur; nec reciproca etiam in statu sano ac alternanti ratione eliduntur; nec denique sat tuta exempla de morbosis hujusce indolis affectionibus per supradictum influxum suspensis aut deletis habentur. Ast si morbosi ex irritatione motus, turgor partium, phlogosis, ejusque satellites illico suspendi nequeant sub nova artificiali impressione, pedetentin tamen a parte affecta revelli, ubi processus morbosus intra limites simplicis congestionis activae in aliqua parte remanet, et ubi nova irritatio, vel phlogosis artificialis inducta est, determinari possunt. Si pneumoni-

tis, meningitis, ophtalmitis etc., non suspenduntur illico, vel plane non cessant sub irritatione per vesicantia, vel rubefacentia ad suras, ad brachia, ad thoracem, ad occipiut inducta, praesumitur saltem eam in cute dolorem cientem irritationem removere, vel in toto, vel in parte vim motuum irritantium a pectore, ab oculis, a meningibus, eosque revocare ubi artificialis illa producta fuit irritatio. Omnibus Medicis notum est quanta utilitas a revellentibus et praecipue vesicatoriis obtineatur in ea pneumonitidis anomala forma, ubi character per eminentiam nervosus evolutus est, indeque universalis virium languor persistente tamen turgore et irritatione topica in pulmonibus habetur. Abundi notum est quantum valeant vescicantia, setacei ad nucam, etc. ad ophtalmias chronicas diversae formae debellandas: nota est utilitas quae provenit ab applicatione fonticuli, setacei, moxae, etc. iis in circumstantiis ubi organica labes aliquam plectat corporis partem, ibique processus plasticus sit tali modo laesus, ut morbosa secretio continuo foveatur ac sustineatur. Talis est casus praesertim de herpetibus pertinacissimis in facie, ad genitalia, de abscessibus lymphaticis, de ulceribus in organis internis, quae cedere nolunt nisi vicaria ac diu sustentata in alia parte suscitetur secretio per supradicta auxilia.

Sed nimis argumentum incresceret, si omnes et

singillatim enumerare vellem casus, in quibus methodi antagonisticae applicatio utilissima est. Quae superius exposui, sufficiant saltem ad certam normam stabiliendam, qua Medicus rationalis et prudens in analogis morborum formis variis in corporis partibus occurrentibus dirigi possit.

Finis.

THESES DEFENDENDAE

I

Diaphragmatis atque muscolorum abdominalium actio per se haud sufficit ad vomitum gignendum.

II

Vires physicae et chaemicae digestionis operi praestando impares sunt.

III

Vasorum absorbentium vis inflammationibus intenditur.

IV

Virginibus lac secerni potest.